



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **FLORUMPRATENSIS*** IN BRASILIA NOVA
CONDITUR DIOECESIS FLORUMPRATENSIS Venerabiles Fratres Rolandus Brandes, Episcopus Ioinvillensis, Titus
Buss, Episcopus Rivi Australis, et Eusebius Ansgarius Scheid, Archiepiscopus Metropolita Florianopolitanus, audita
Conferentia Episcoporum Brasiliae, ab hac Apostolica Sede antea petiverunt ut, quibusdam distractis territoriis a
circumscriptionibus ecclesiasticis suis, nova dioecesis conderetur ad aptius consulendum spirituali bono Christifidelium
ibidem commorantium. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Alfii Rapisarda, Archiepiscopi titulo Cannensis et
in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi concedendum esse
putavimus. Summa igitur Nostra potestate quae sequuntur decernimus atque iubemus. Separamus singulatim: a dioecesi
Ioinvillensi integrum territorium, prout nunc lege civili circumscribitur, municipiorum nuncupatorum Blumenau, Gaspar,
Indaial, Pomerode, Rio dos Cedros et Timbó; a dioecesi Rivi Australis integrum territorium municipiorum Benedito Novo
et Doutor Pedrinho; ab archidioecesi Florianopolitana integrum territorium municipiorum Ilhota, Luiz Alves, Navegantes,
Penha et Piçarras; atque ex ita seiunctis territoriis novam constituimus dioecesim *Florumpratensem* patrio sermone
appellandam « Blumeneau », quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia, simul sumpta, prout in civili lege
exstant, nunc terminantur. Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Blumenau » ponimus, ibique situm paroeciale
templum, Deo in honorem Sancti Pauli Apostoli dicatum, ad gradum ac dignitatem Ecclesiae cathedralis evehimus,
mandantes ut in eo, ad normam iuris, Canonorum Capitulum instituat. Praeterea dioecesim Florumpratensem
suffraganeam facimus metropolitanae sedi Florianopolitanae eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi
Florianopolitani pro tempore subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus,
perficienda committimus memorato Apostolico Nuntio, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in Brasilia,
eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum
in ecclesiastica dignitate constitutum, onere prorsus imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar
actus peractae executionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die
undevicesimo mensis Aprilis, anno Magni Iubilaei bis millesimo, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

LUCAS card. MOREIRA NEVES

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana